

Epistola B. Petri Apostoli Prima

Cap. 1 ¹ Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, ² secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur.

³ Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, ⁴ in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis, ⁵ qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. ⁶ In quo exsultabis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ⁷ ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi : ⁸ quem cum non videritis, diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exsultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata : ⁹ reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. ¹⁰ De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : ¹¹ scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias : ¹² quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cælo, in quem desiderant angeli prospicere.

¹³ Propter quod succincti lumbos vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi : ¹⁴ quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia vestræ desideriiis : ¹⁵ sed secundum eum qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis : ¹⁶ quoniam scriptum est :

Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. **17** Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. **18** Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : **19** sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati : **20** præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, **21** qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo : **22** animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius : **23** renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum : **24** quia omnis caro ut fœnum : et omnis gloria ejus tamquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. **25** Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

Cap. 2 **1** Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, **2** sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem : **3** si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. **4** Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum : **5** et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. **6** Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. **7** Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes : hic factus est in caput anguli, **8** et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. **9** Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus

acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. **10** Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei : qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

11 Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, **12** conversationem vestram inter gentes habentes bonam : ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

13 Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti : **14** sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : **15** quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : **16** quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. **17** Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timete : regem honorificate.

18 Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. **19** Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. **20** Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis ? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. **21** In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus : **22** qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : **23** qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste : **24** qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis. **25** Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum.

Cap. 3 ¹ Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut etsi qui non credunt verbo, per mulierem conversationem sine verbo lucrifiant : ² considerantes in timore castam conversationem vestram. ³ Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : ⁴ sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. ⁵ Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. ⁶ Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ beneficientes, et non pertimentes ullam perturbationem. ⁷ Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ : ut non impediatur orationes vestræ.

⁸ In fine autem omnes unanimes, compatientes fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles : ⁹ non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. ¹⁰ Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. ¹¹ Declinet a malo, et faciat bonum : inquiret pacem, et sequatur eam : ¹² quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. ¹³ Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? ¹⁴ Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. ¹⁵ Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. ¹⁶ Sed cum modestia, et timore, conscientiam habentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. ¹⁷ Melius est enim beneficientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.

18 Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. **19** In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit : **20** qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam. **21** Quod et vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. **22** Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cælum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

Cap. 4 **1** Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : **2** ut jam non desideriiis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. **3** Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriiis, vinolentiis, comessionibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. **4** In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. **5** Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos. **6** Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.

7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. **8** Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes : quia caritas operit multitudinem peccatorum. **9** Hospitales invicem sine murmuratione. **10** Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. **11** Si quis loquitur, quasi sermones Dei : si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus : ut in omnibus

honorificetur Deus per Jesum Christum : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

12 Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat : **13** sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. **14** Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. **15** Nemo autem vestrum patiat ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. **16** Si autem ut christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine : **17** quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio ? **18** et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? **19** Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei Creatori commendent animas suas in benefactis.

Cap. 5 **1** Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum : qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator : **2** pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : **3** neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. **4** Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. **5** Similiter adolescentes subditi estote senioribus.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6 Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : **7** omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

8 Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : **9** cui resistite fortes in fide : scientes eamdem

passionem ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri.

10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 11 Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

12 Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi : obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis. 13 Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, et Marcus filius meus. 14 Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.